



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Qualiter Pontifex, & religionum Prælati, & regis consiliarij stipendia taxate
possint, & iuxta eam taxationem. Missarum numerum diminuere. 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

celebratum, ac celebratum à quolibet alio sacerdote. Ex alia parte capellanus, & beneficiarius titulo capellaniae, & beneficii constituitur domini fructum, & redditum sub obligatione dicendi sacra. Ergo satisfaciens huic obligationi, ut verè per alios sacerdotes satisfacere possunt, iustum stipendium illis concedentes poterunt residuum sibi retinere, & ita usus, & praesens obtinuit. Terriò probabilis est, si tibi abundantiora stipendia concessa sunt pro Missis à te celebrandis, posse scilicet huic obligationi satisfacere medijs alijs sacerdotibus, quibus minus stipendium, sed iustum concedis. Sic docuit alij relatis Suar. Barbosa, Valsq. Eman. Saà, Bonac. *locis allegatis*. Ratio est, quia celebrantibus nullam inferri iniuriam, cum iustum celebrationis stipendium tribuas; abundantius concedere non teneris, quia non tibi sub hac obligatione concessum est. Unde enim hac obligatio, & intentio donantis constat, potius enim constat tibi absolute esse concessum sub obligatione celebrandi per te, vel per alium. Si enim alij sacerdotes tuo nomine gratis celebrare velint, nemini est dubium te integrum stipendium acceptum retinere posse. Ergo etiam retinere poteris, cum celebrant iusto, sed infimo stipendio daro. Praedictum namque stipendium non retines ex donatione sacerdotum celebrantium, sed ex donatione illorum qui Missas à te petierunt: ipsi enim sacerdotes non donant tibi stipendium, sed te liberant ab obligatione quam habes celebrandi virtute stipendij accepti.

Notanter dixi pro Missis à te celebrandis: nam si stipendia tibi concedantur non vt tu celebres, sed vt alijs sacerdotibus celebrantibus tradas, nequaquam poteris (seclusa speciali consuetudine, & voluntate expressa concedentis) aliquam partem stipendij retinere, quia retinere contra voluntatem concedentis, cum non tibi tradatur, vt retineas, sed vt celebrantibus dones, iniuriamque celebrantibus facis donans stipem infimam etiam iustam, cum abundantior illis fuerit legata. Et tradunt Suar. Valsq. Barbof. Eman. Saà, & Layman. vbi supra. Cognoscere autem quando tibi traditur stipendium absolute, quando vti curatori & dispensatori, non est difficile. Si enim impeditus es celebrare in fauorem illius qui stipem tradit, vel quia laicus es, vel quia esto sis sacerdos, ex instituto ob stipendium celebrare non potes, sicuti Religiosi nostrae Societatis, manifestum est non tibi stipendium tradi, vt illius sis dominus, sed vt illius sis dispensator, & distributor, neque vllam illius partem retinere potes, quae à celebrantibus non fuerit concessa. Excipe nisi in aliquo casu donans stipendium expressè declarauerit tibi velle illius dominium concedi, sub obligatione tamen querendi sacerdotes, qui obligationi celebrandi satisfacerent. Nihil enim huic voluntati obstat potest, si capax existas domini pecuniae traditae. Caeterum etiam in rigore vera sint, consultum tamen est ab hac luctu cupiditate abstinere, sicuti bene inrer alios monent Suar. & Bonac. supra.

Argumenta in contrarium ex proximè dictis dissoluantur. Ad primum nego voluntatem dantis tibi stipendium esse, vt celebranti semper concedatur: Id enim solum est, quando tibi traditur stipendium, vt celebrare facias, secus quando traditur, vt tu celebres. Et ad probationem, respondeo stipendium concedi in subsidium vitae celebrantis per se, vel per alium, sicuti contingit in fructibus beneficii, vel capellaniae. Ad secundam probationem nego diminui sacrificij fructum ex eo quod minore stipe concessa peragatur, sicuti non diminueretur, tamen gratis fieret. Nam vt bene tradit Valsq. *dicta disp. 234. cap. 4. in fine*. fructus sacrificij, correspondet donanti stipem pro quantitate stipsis primo concessa, & affectu quem tunc ad sacrificium habuit. Ad secundum respondeo illam partem stipsis te retinere titulo donationis onerosae. Tertium probat hanc stipendij retentionem non esse consulendam, quinimo censuram lege, & praecipio prohiberi debere, maxime cum eo animo accipitur, vt minori alijs concessio partem retineas.

10. Rursus dubitabis, an obligatus titulo stipendij, vel capellaniae legere Missam de defunctis, vel de B. Virgine satisfacias si Missam celebres de festo eo die occurrente?

Negat Layman. *lib. 5. sum. tract. 5. cap. 1. q. 5.* quamuis non declaret, an peccatum mortale, an veniale committas. Mouetur, quia voluntatem rationabilem fundantis capellaniam, vel stipendium concedentis exequi debes, at illa voluntas est rationabilis, vt suppono, siquidem ex aliqua honesta causa Missa de defunctis, vel de Beata Virgine eo die expostulatur, neque ea voluntas aduersatur ritibus, & caeremoniis ab Ecclesia praescriptis, quippe Ecclesia permittit omnibus diebus, qui solemnitate duplici occupati non fuerint, Missas votiuas celebrare. Ex alia parte negari non potest ea Missa petita ob specialem petentis affectum, & ob particulares preces, & orationes apriorem esse ad impetrandum, ne quis ergo alia diuersa missa satisfacere.

Nilominus dicendum est te integrè satisfacere, si Missam de festo etiam simplici eo die occurrente celebres

omissa votiuo petita. Quia decentius est te vniuersali Ecclesiae praescripto in celebratione conformare, quam ob voluntatem petentis privilegio, & permissione vti. Ad rationem oppositam respondeo, voluntatem rationabilem fundantis capellaniam, & concedentis stipendium exequendam esse, nisi executione alterius voluntatis superioris compenferur, sicuti compenferur executione voluntatis Ecclesiae praescribentis eod die Missam de festo celebrari. Et quamuis illae preces, & orationes Missa votiuo expostulata per se apriores sint ad finem operatum impetrandum, at ea aptitudine sufficienter compenferur orationibus & precibus ob praescriptum Ecclesiae factis, ex hac enim conformitate nouam vim impetrandi obtinent, ob quam aequialere possunt precibus, & orationibus petitis. Item deuotione, & intercessione speciali illius Sancti. Atque ita sustinent Nauarra. *c. 25. n. 134.* Henricq. *lib. 9. cap. 23. n. 6.* Azor. *1. par. lib. 10. cap. 32. q. 5.* Eman. Saà, *verbo Missa, n. 48.* Suar. *disp. 83. sect. 3. in med.* Mirand. *man. Praelat. 1. l. q. 41. art. 21. concl. 2.* Barbof. alios plures referens, *2. p. de potest. Episc. alleg. 24. n. 32.* Bonac. *disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 3. n. 4.*

Si autem dies festalis sit, & Missam illius diei celebres omissa votiuo expostulata, vix credo (secluso scandalo) venialiter peccatumur, aequè enim militat in hoc casu superiores rationes adductae, vt faciliè eas expendenti constatere potest. Ideoque Suar. *dicta disp. 83. sect. 3. vers. in quo est.* absolute dixit: Quando aliquis ob stipendium, vel capellaniam institutionem, vel ob aliam similem causam obligatur ad specialem Missam dicendam, debet si commode potest praescriptam obligationem implere, quamuis, si absque scandalo id omittat vt Missalis ordinem seruet, non peccabit, imò si propter solemne festum id faciat, melius faciet. Et Panormit. *in cap. quidam Laicorum de celebrat. Missar.* inquit celebranda est Missa de eo de quo fit officium, neque ad instantiam Laicorum dimittenda propria propter peculiares ex deuotione. Adde te tantum obligatum esse sacrificij fructum offerre in fauorem illius, qui contulit stipendium, quatenus personam Christi geris: nam quatenus vt persona singularis offers, fructum illius applicare potes cui malueris, quatenus vero Ecclesiae minister es constitutus, non tibi licet ab intentione & applicatione Ecclesiae discedere; at fructus sacrificij in Christi persona oblatis ex parte sacrificij idem in omnibus est, solumque pro maiore, vel minore dispositione illorum quibus applicatur, augetur vel minuitur. Ergo quolibet sacrificio quoad praecipuam obligationem videris integrè satisfacere.

11. Ad extremum inquires, an pecces mortaliter, si dist differas sacrificia offerre in fauorem illorum, quibus es obligatus? Affirmatiua responsio certissima est. Si enim mora in debitis temporalibus soluendis peccatum mortale constituit, cur non in soluendis spiritualibus debitis, quae tanto viliora sunt, quanto excellentiora? Præterea ob huiusmodi dilationem non leue damnum prouenit, nam vt rectè Petrus Nauarra statim citandus, si sacrificia postulata sunt ad impetrandum tum salutem animae, & corporis, tum pacem inter discordes, tum alium felicem euentum, sepe ob non celebrata tuo tempore sacrificia perit impetratio. Si autem in satisfacionem animarum purgatorij fuerint sacrificia postulata, ex se constat quam graue damnum animarum purgatorij proueniat ex hac dilacione: siquidem diu illis flammis acerbissimis cruciantur alioquin cito liberandae. Est igitur dilatio sacrificiorum debitorum grauis culpa. Sic Syluest. *verbo Missa. q. 10. in fine.* Petr. Nauarra, *lib. 2. de restit. cap. 2. n. 250. in 2. edit.* Layman. *lib. 5. sum. tract. 5. cap. 3. quest. 4.* Quae autem dilatio diuturna iudicanda sit arbitrio prudentis decidenda est vt dixit Nauarra, supra. Hoc autem arbitrium ex fine, ad quem obtinendum sacrificia postulantur, colligendum est. Si enim praecipue ad impetrandum aliquem effectum postulantur sacrificia, non est dubium te grauem culpam committere, si intra tempus impetrationi aptum sacrificia non celebres, illudis enim postulantis intentionem. Si vero in satisfacionem animarum purgatorij fuerint sacrificia praecipue postulata, vnius mensis dilacionem satis grauem esse censuram. Et idem credo dicendum, si pro impetranda libertate alicuius grauis molestiae, infirmitatis, & laboris postulata sacrificia fuerint: forte enim ob dilacionem sacrificiorum poenae continuantur, quae alioquin cessarent.

PUNCTUM XV.

Qualiter Pontifex Episcopus, & Religionum Praelari, & Regis consiliarij stipendia taxare possint, & iuxta eam taxationem Missarum numerum diminuerent.

1. Proponitur dubitandi ratio.

2. Pota

2. Pontifex ex rationabili causa Missarum numerum diminueret potest.
3. Explicatur privilegium Minoribus concessum.
4. Episcopus bene potest spectato communi iure Missas ad minorem numerum reducere. At spectato Trident. iure, sola annuversaria, & in Synodo diocesana.
5. Gubernatoribus civitatum aliqui facultatem concedunt.
6. Verius est oppositum.
7. Fit satis oppositis fundamentis.

Contingit saepe Missas dicendas ex obligatione annuversarij, capellanaj, beneficij, testamenti, imo stipendij ad minorem numerum reduci: inquirimus ergo qua ratione hoc sit penes Pontificem, Episcopum, & religionum Praelatos? Ratio dubitandi est, nam si congrua stipendia assignata sit, non videtur posse Pontificem abundantiorum designare: ipse enim non est dominus bonorum temporalium fidelium, sed ad summum dispensator ex rationabili causa: At nulla causa rationabilis apparet designandi abundantiorum stipendij, & iuxta illam designationem numerum Missarum minuendi, cum iuxta stipendia fuerit designata, potius enim rationi congruit pias fidelium voluntates integre executioni mandari, siquidem hac via excitantur fideles ad nova legata Ecclesiae relinquenda, credentes integre semper esse obsequenda: Econtra vero non leuiter acentur.

2. Ceterum posse Pontificem ex rationabili causa ad minorem numerum Missas beneficij, capellanaj, annuversarij, & testamenti &c. reducere, & abundantius stipendium eo quo taxatae sunt, designare constans est omnium sententia. Etenim Pontifici, vt supremo Ecclesiae gubernatori, & bonorum spiritualium dispensatori conuenit pro qualitate temporum, personarum, & circumstantiarum determinare, & declarare quod sit iustum Missarum stipendium. Atque adeo stipendium, quod vno tempore iustum fuit successu temporis, & maxime accedente superioris taxatione insubium, & inaequale esse potest. Quod si aliquando Pontifex ob paupertatem sacerdotis, vel ob aliam causam, qua sibi rationabilis visa fuerit, abundantius stipendium, quam alias aequitas, & iustitia postulat, designet, & Missas ad minorem numerum reducat, credendum est ex thesauro Ecclesiae offerre, & applicare quidquid virtute sacrificiorum alioquin debitorum obtinendum esset, vt bene ex communi sententia aduertit Suar. *disp. 87. in fine. Henric. lib. 9. cap. 22.*

3. Ex his inferitur intellectus ad privilegium concessum à Leone X. Minoribus, & à Sixto V. in comp. *Mendicant. verbo communicatio. §. 2.* vbi affirmatur posse Abbatem, seu Rectorem collegij, & conuentus ad minorem numerum Missas dicendas reducere, vnaque Missa pluribus obligationibus satisfacere. Haec tamen reductio iam fieri non potest à Praelato Ordinum Mendicantium, nisi in capitulis Provincialibus, seu congregationibus generalibus iuxta Trident. *sess. 25. cap. 4. de reformat.* idque causa legitima intercedente, vt bene notauit Man. Rodrig. *t. 2. quae. regular. quae. 43. art. 13.* Alias ea reductio non cedit in Dei honorem, & cultum, & Ecclesiarum utilitatem, sicuti monet Concilium. Causa autem legitima reductio est, si numerus religionum fuerit diminutus, aut redditus Monasterij extenuati, vel impensae maiores sunt. Sic relatis Azor. *3. p. lib. 12. cap. 6. quae. 1.* Fraxinell. *de obligat. sacerdot. scilicet 7. §. 3. num. 3.* docet Barbosa *2. p. de potest. Episc. alleg. 29. numer. 3.* Neque obstat hac reductioe prauiari defunctos fructu sacrificiorum alioqui debitorum, quia id est per accidens, cum eorum voluntas moraliter impleri non possit: praeterquam quod credendum est (vt inquit Henric. *dicto cap. 22.*) fructum ex sacrificiis applicandum compensari communicatione indulgentiarum, & gratiarum, quae illi religioni, vel conuentui sunt concessae, quaeque contrariis, & benefactoribus conceduntur, Pontificemque ex thesauro Ecclesiae intendi nem habere applicandi quidquid ad suppleendum praedictum fructum necessarium fuerit.

4. Episcopus vero iure communi spectato potest rationabili causa intercedente Missas tum annuversarij, tum capellanaj, tum beneficij ad minorem numerum reducere; neque ad eam reuocacionem Synodi diocesanae consilio indiget: vti latus dixi tract. *de benefic. disp. 1. pun. 6. numer. 24.* Non enim Concilium *sess. 25. cap. 4. de reformat.* potestatem Episcoporum restrinxit, sed instruit quid congruentius faciendum sit, & in Missis capellanaj, & beneficij docuit praeter ibi allegatos Barbosa *2. p. de potest. Episc. alleg. 29. in fine.* Fateor tamen ex potestate à Trident. concessa non posse Episcopum Missas in fundacione beneficij seu capellanaj ad minorem numerum reducere, bene tamen ex potestate iuris communis. *Argum. e. cum accessissent. c. ex parte de constit.* Quia Trid. solum de numero Missarum in annuversariis relicto loquitur, non de Missis, quae ex fundacione beneficij, vel capellanaj habentur. Vnde si Tridentini potestate vti Episcopus veller in Missarum reductioe, solas Missas annuversariarum reducere possit, eamque reductioem necessariam facere deberet in Synodo

Ferd. de Castro. Sum. Mor. Pars IV.

diocesana, Sic pluribus fiant. Bonac. *disp. 4. de sacram. q. vlt. pun. 7. n. 10.* Barbosa *2. p. de potest. Episc. alleg. 29. n. 10.* aduertit Henric. *lib. 9. c. 22. n. 6.* Mirand. *Man. Praelat. t. 1. qu. 41. art. 12.*

Sed an potestas à Trident. concessa tum Episcopis, tum religionum Praelatis extendatur ad annuversaria post Trident. Affirmat Possuin. *lib. 2. n. 25. qu. 9.* Mirand. *man. Praelat. t. 1. q. 41. art. 12.* Garcia *de benefic. 7. p. cap. 1. n. 132.* Et mouetur, quia Concilium generaliter loquitur, & dispositio aequè necessaria est pro annuversariis post Concilium ac ante Concilium relictis, & praxis ita obtinuit Contrarium docent gratissimi Doctores, quos referunt, & sequuntur Bonac. *disp. 4. de sacram. q. vlt. pun. 7. §. 2. n. 11.* Barbosa *allegat. 29. n. 5.* testanturque sic à sacra Congregatione decilum esse. Sed credendum est (vt inquit Garcia) decisionem singularem fuisse, vel consuetudine contraria esse abrogatam.

Monet tamen Trident. *dicta sess. 25. cap. 4. in fine.* reductioe Missarum facta ab Episcopo, seu religionum Praelatis vt eorum defunctorum, qui pro suarum animarum salute legata, & ad pios vsus reliquerunt semper commemoratio fiat, hoc est quoties iure reductiois celebrari contigerit: sitque satis huic commemorationi, si per collectas, vel preces quae in secundo Memento offeruntur, Missas pro illis defunctis applicet. Sic ex Congregat. Cardinal. testatur Barbosa *in remission. Concil. dict. cap. 4. in fine.*

5. Sed quid dicendum de gubernatoribus ciuitatum, Regijsque consiliariis, an ipsi possint Missas in testamentis, & in capellae secularis fundacione relictas ad minorem numerum reducere? Affirmant Fagund. *de primo Eccles. praecipio, lib. 3. cap. 7. n. 16. & 17.* Mouetur primo, quia huiusmodi capellae & annuversaria fuerunt à secularibus personis, & de bonis secularibus fundata. Ergo tam ratione fundatorum, quam bonorum regiae iurisdictioni subiacentur. Ergo Regijsque ministris pertinet ea gubernare. Secundo ad Regem, regioque ministros pertinet procurare, vt subditorum vltimae voluntates ad executionem iuste, & rationabiliter deducantur, at nequeunt sic deduci, nisi Missae ad minorem numerum redigantur, & stipendium abundantius taxetur. Tertio Rex, cuiusque ministri possunt dispositiones suorum subditorum, quae successu temporis iniustae sunt reddita, ad aequalitatem iustitiae reformare. Quid enim obstat huic reformationi, cum possit Rex legem concedere ne vllus sacerdos obligetur Missam dicere abique stipendio, quod ab Ecclesia censetur legitimum. Quarto prouisoires regij ius habent (ex privilegio) vt creditur (à sede Apostolica concessa) examinandi testamenta, & testamentorum rationes sumendi, procurandique vt iuste, & rationabiliter, & cum utilitate defunctorum obseruentur. At obseruari haec nequeunt, nisi leges, & dispositiones Missarum ad iustum numerum reducant. Possunt ergo reducere, quippe quibus est potestas ad principale concessa, censetur concessa ad accessorium.

6. Nihilominus verius censéo nec Regem, neque eius ministros se intramittere posse in taxatione iusti stipendij pro Missis celebrandis, neque in redigendo numerum Missarum capellanaj, & annuversarij secundum eam taxationem. Quid enim magis gubernacioni Ecclesiae conuenit, quam designare sacerdotibus debitam sustentacionem, quatenus officio sacerdotis fungantur: quippe haec potestas spiritualis est, tum quia respicit rem summè spiritualem, qualis est sacrificium. Tum quia versatur circa personas Ecclesiae praecipuas, quales sunt sacerdotes, quibus stipendium ob sacrificij celebrationem designatur, idèoque Trident. *sess. 25. cap. 4.* solum Episcopis, & Praelatis religionum hanc potestatem taxandi Missarum stipendium, Missaeque ad iustum numerum reducendi concessit, nullisque aliis Doctor secularibus potestatis eam taxationem, & reuocacionem remisit: gratis ergo, & abique fundamento illis conceditur.

7. Rationes autem, quibus Fagundez motus est, leuissimae sunt. Ad primam concedo ex bonis secularibus, & à personis secularibus annuversaria fundata esse, & capellas erectas; nego tamen inde inferri bonorum illorum dispositionem seculari potestati subiacere, alias ferè omnia beneficia seculari potestati subiacerentur, cum ex bonis secularibus, & à personis secularibus fuerint fundata. Ad hanc enim subiectionem parum refert vnde, & à quibus personis fundata sint, si semel concedamus in potestatem Ecclesiae bona illa esse transata, vt necessariò concedendum est. Ad secundam concedo, ad Regem regioque ministros pertinere procurare, vt vltimae voluntates suorum subditorum iuste & rationabiliter executioni mandentur: concedo item non posse id procurare, nisi simul procurent stipendium pro Missis celebrandis designatum denuò taxari, & quae Missas ad minorem numerum reducat nego eam taxationem & reuocacionem ipsos facere posse: sed solum procurare debent, vt si legitimis superioribus fiat. Etenim sicut non possunt per se ipsos compellere sacerdotes, vt executioni mandent vltimas voluntates, quae iustae, & rationabiles iudicatae sunt,

K 3

fic minus compellere poterunt, cum irrationabiles, & iniusta præsumuntur. Adde authenticè decidere quæ sit rationabilis, & iniusta voluntas in designando Missarum stipendio ad eam potestatem pertinere, cui pertinet stipendij designatio. At constat hanc designationem soli Ecclesiasticæ potestati competere. Ergo seculari potestati nec taxatio iusti stipendij, nec Missarum numeri diminutio competere potest. Ex his constat solutio tertiæ rationis. Nam esto Rex concedere legem possit, ne sacerdotes ad Missas dicendas obligentur à secularibus nisi concessio stipendij quod ab Ecclesia iustum fuerit indicatur; at iudicare authenticè in casu dubio quod stipendium iustum ab Ecclesia censetur, non regi, sed Ecclesiæ, cuiusque Prælati competit. Sed demus stipendia in annuæ fariis, & capellanis designata euidenter esse minima infimo iusto, eo casu sacerdos, cui onus celebrandi titulo capellanie, vel annuæ farij obligatione suscepta competit, non auctoritate secularis potestatis, quæ nulla est, sed propria ex iure quod habet se indemnem seruando, Missas ad minorem numerum reducere poterit iuxta probabilem sententiam pun. 14. relata. Quod sanè permitterem casu quod adire non possit Ordinarium, qui stipendium taxaret, & Missas ad minorem numerum reduceret. Sed quia hoc moraliter contingere non potest, idè censeo capellanum, dum capellaniam retinet, neque Ordinarium adit, qui numerum Missarum diminuat obligatum esse, integrè prædicto oneri satisfaciere, quia voluntariè eam obligationem subit capellaniam retinens, & Ordinarium non adiens. Ad quartum. Admittamus gratis rationes testamentorum apud regios ministros dari posse; Huic tamen potestati accessorium non est stipendia Missarum taxare, & illarum numerum à testatore præscriptum minuire, sed solum est accessorium eam stipendij taxationem, & Missarum diminutionem ab Episcopo faciendam procurare; aliis qui ex testatoris dispositione rationes capellanie sumeret, potestatem haberet ea stipendia taxandi, & Missas diminuendi, quod consuetudini, praxique receptæ contrarium est.

PUNCTVM XVI.

De præcepto audiendi Sacrum festis diebus.

1. Quæ sit materia huius præcepti.
2. Explicatur præsentia humana.
3. Qualiter vagatio mentis hanc præsentiam impediatur.
4. Satisfactio præcepto fundens orationes siue voluntarias, siue obligatorias.
5. Integro sacrificio assistere debes, neque potes absque graui culpa notabilem partem omittere.
6. Quæ sit notabilis pars maximè post inceptum Canonem.
7. Quid si recedas à sacrificio, ut necessaria deferas.
8. Possit ab uno sacerdote dimidium Missam, & postmodum ab alio aliam dimidium audiri, firmant communiter Doctores.
9. Extenditur à Bonac. esto simul contingat. Sed displicet extensio.
10. Hoc præceptum quibus diebus fideles astringat.
11. Quas personas.
12. Quo in loco.
13. Quid de licentia, quam Ordinarij concedere solent celebrandi in priuatis Oratorijs sub obligatione, ne extranei Missa præcepto satisfaciatur.
14. Ob periculum Missa omittenda sæpè contingit peccatum mortale.

Materiam huius præcepti esse præsentiam humanam, & religiosam sacrificio Dominicis, & festis diebus peragendo constat ex cap. missas. cap. omnes fideles de consecrat. dist. 1. & tradunt omnes: quia præcipitur actus humanus in Dei honorem, & cultum. Dicitur humana præsentia, si sensu aliquo percipis quid in sacrificio agatur, vri benè docuit in alio simili Sanch. lib. 4. de matr. disp. 13. num. 9. & 11. Dicitur religiosa, si ea præsentia ex se in Dei cultum cedat. Et licet Angel. verbo feria num. 24. censet hanc materiam grauis obligationis non esse, audiendus non est: quippe ceteri omnes Doctores meritò contradicunt, affirmantes huius præcepti transgressionem peccatum mortale constituere: est enim defectus in maximo cultu, & honore, qui Deo exhiberi potest.

2. Ex præsentia humana, & religiosa requisita sit, si dormiens, vel ebrius sacrificio assistens, præcepto non satisfaciendum; quia humano, & religioso modo non assistis, & docent omnes. Item si huc, illucque circumspectans, & fortè per totam Missam colloquia miscens, quia tua præsentia religiosa non est, sicuti esset si interruptum aliqua verba misceres, vt dixit Egid. de Coninch. q. 81. art. 6. dub. 2. in numer. 298. Quocirca mihi displicet sententia Soti, in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. in fine. Ioan. Med. tract. de confess. quest. de poenitentia tempore

Missæ implenda, affirmantium colloquia etiam turpia executionem huius præcepti non impedire, quibus non leuiter fauet Nauar. cap. 13. num. 17. & cap. 21. num. 6. Azor. 1. p. lib. 7. cap. 5. Suar. disput. 88. sect. 3. Bonac. disp. 4. de sacram. q. vlt. pun. 1. num. 24. quatenus censet raro confabulantes in Missa, & aspicientes circumstantes præceptum audiendi Sacrum violare, quia non solent eæ confabulationes continuæ esse per totam Missam, neque de rebus feriis, quæ morale, & humanam præsentiam impediunt. Etenim si confabulationes sint per notabilem Missæ partem, tamen non impediunt moralem præsentiam, siquidem confabulantes de gestis in sacrificio testari possunt; impediunt tamen religiosam præsentiam, quæ certè consistere non potest cum fabulatione vana, & fortè turpi. Quod si dicas inde inferri, si assistas Missæ sacrificio vestibus te induens, vel aliam quamlibet exteriorem actionem exercens non satisfacere præcepto, tamen de gestis in sacrificio testari optimè possis. Quod est contra communem sententiam, de qua Nauar. de orat. notab. 3. numer. 49. Grassis lib. 2. decis. cap. 35. numer. 9. Henric. lib. 9. cap. 25. num. 6. in comment. lit. 1. Bonac. disput. 4. de sacram. q. vlt. p. 11. num. 24. Deinde inferri, si assistas Missæ ob prauum finem v. g. aspiciendi feminas præcepto non satisfacere, de quo Henric. num. 4. Nauar. cap. 21. num. 10. Suar. disput. 88. sect. 3. Bonac. num. 21. quia in his videtur religiosa præsentia de medio tolli. Negandum est enim si actio exterior etiam in templo facta per se indecora non sit, & ex alia parte non te impediatur sacrificanti attendere, humanæ, & religiosæ præsentiam non contradicit, ac proinde non obstat, quin illam exercens satisfacias Missæ præcepto. Minus obest, quod ex prauo fine Missæ assistas, nam prauis finis non impedit præsentiam exteriorem esse religiosam esse, tamen illam impedit simpliciter, & perfectè esse religiosam, quod ad præceptum exequendum requisitum non est, vt dicemus.

3. Sed an vagatio voluntaria mentis circa profana, & turpia hanc religiosam, & moralem præsentiam impediatur? Affirmant vt probabilis Azor. lib. 7. cap. 5. q. 2. Bonac. disp. 4. de sacram. q. vlt. pun. 11. n. 4. Layman. lib. 4. sum. tract. 7. c. 3. assert. 2. Et mouentur, quia stante hac voluntaria vagatione præsentia moralis, & religiosa non videtur posse consistere. Cæterum sub distinctione respondeo. Si vagatio mentis ita intensa sit, vt ob eam impediatur aliquoties cognoscere quid à sacrificante agatur (quod raro contingit) nequaquam præcepto audiendi Sacrum satisfacias, quia solum corpore, non tamen mente præsens es: hac enim de causa dormiens, vel ebrius assistens præcepto non satisfacias, quia de iis, quæ aguntur in sacrificio reddere rationem non potes. At si voluntaria vagatio non te impediatur ab ea attentione, qua possis esse testis sacrificij peracti, credo non impedire præcepti executionem. Quia materia huius præcepti solum est externa sacrificij præsentia moralis, & de se religiosa. Hac autem consistere potest, tamen mens vanisimo turpibus cogitationibus occupata sit. Ergo. Et confirmari potest, quia si vagatio inuoluntaria sit, omnes Doctores censent, teste Suar. disp. 88. sect. 3. circa med. præcepti executioni non repugnare. Signum ergo est ex vagatione mentis regulariter præsentiam moralem, & de se religiosam non impediri. Etenim si hac præsentia vagatione impediatur, tamen si inuoluntaria esset, nullatenus ea stante præcepto satisfacies, sicuti non satisfacies, si inuoluntari dormires, sed aliud Sacrum si posses, audire deberes: vt latius profequitur Egid. de Coninch. q. 81. art. 6. dub. 2. in 302.

4. Hinc inferunt à fortiori te optimè satisfacere posse præcepto audiendi Sacrum, siue preces voluntarias, siue ex obligatione recites, sicuti docent Nauar. cap. 21. num. 8. Suar. disp. 88. sect. 3. in fine. Henric. lib. 9. sum. tract. 7. cap. 3. ver. tertium. Bonac. disp. 4. de sacram. q. vlt. pun. 11. numer. 25. Quia ea recitatio morale, externam, & religiosam præsentiam non impedit.

Sed an eam præsentiam impediatur, si tempore Missæ peccata fatearis, vel ad illa fatenda conscientiam reuoluas? Affirmat Bonac. disp. 4. de sacram. q. vlt. pun. 11. num. 26. in noua edit. adducitque Suar. & Azor. Sed immerito vt dicemus. Mouetur, quia auditio Sacri præcipitur per modum orationis, at qui suam conscientiam examinat, & peccata fateatur non orat. Non igitur rem præcepta facit. Cæterum verus est conscientie examen, & peccatorum confessionem non impedire, quin præcepto audiendi Sacrum satisfacias, siquidem simul cum conscientie examine, & peccatorum confessione attendere potes quid in sacrificio agatur, qua attentione posita præsens es moraliter, & religiosè sacrificio. Satisfacias ergo præcepto, si sicut satisfacere posses, si confessiones in templo audires. Atque ira sustinet Reginald. lib. 19. numer. 14. in fine. Molfesius tract. 3. cap. 17. numer. 45. Neque contradicunt Suar. & Azor. solum enim dicunt ob peccata fatenda non esse omittendam Missam, quod regulariter verissimum est: at non negant contentem peccata simul posse sacrificio interesse, & vtrique obligationi satisfacere. Secundo inferunt opus non esse, vt huic præcepto satisfacias, sacerdotem audire, vel videre, sufficit si ex signis cognoscas